

ENCUADERNACIONES


J. y V. LLORENS

CABALLEROS, 7

VALENCIA

Telf. 310600

FUNDADA EN
1898

Biblioteca  Valenciana



31000005093532

XVIII

1335(1-2)

OCTAVIUS,

SIVE,

LIBER DE LUSIBUS,


QUORUM DESCRIPTIONES DESUMTAE SUNT

EX VARIIS SCRIPTORIBUS LATINIS,

EXCERPTORE

GREGORIO MAJANSIO,

Generoso Valentino, & Duodecemviro
Stlitibus judicandis in Regia Domo
& Urbe.



VALENTIAE EDETANORUM:

Apud FRANCISCUM BURGUETE,

ANNO MDCCLXVIII.

1810

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY

1810

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY



LICENCIA.

He leído este libro, compuesto por el Señor D. Gregorio Mayàns, intitulado: *Octavius, sive, Liber de Lusibus*, con los lugares de los Autores Originales a que se remite; i en atencion a que por la Carta Acordada de veinte i quatro de Marzo de este presente año, le concede el Consejo la Licencia necesaria para imprimir varios Libros suyos, pareciendome a mí que es digno de la luz pública; puede dicho Señor D. Gregorio darle a la Prensa, pues no se halla en él cosa alguna contra las Regalías, i Pragmaticas de S.M. Valencia, i Julio cinco de 1768.

D. Francisco Perez Mesa.

LICENCIA

He leído este libro, compuesto por el Sr. D. Gregorio Mas- yias, intitulado "Discurso de las Leyes de España, con los regios de los Autores Españoles a que pertenecen: y se accion a que por la Casa de Contratación de Indias, y de las Indias de este presente año, se concede a la Licencia necesaria para imprimir varios libros suyos, pareciendo a mí que es digno de la luz pública, puede dicho Sr. D. Gregorio Mas yias a la Prenta, pues no se halla en el Colegion contra las Regias de las Indias de S. M. Valen- cia, a Julio cinco de 1708.



OCTAVIUS,

SIVE, LIBER DE LUSIBUS.

CAIUS CRISPUS SALLUSTIUS apud FLAVIUM
VEGETIUM, *de Re Militari, Lib. I. Cap. 9.*



DE exercitio Cn. Pompeii Magni Sallustius hoc memorat : Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi sese, & suos milites, frequentibus exercitiis prae-
parasset ad proelia.

VIRGILIUS AENEID. *Lib. V. vers. 545.*

AT pater Aeneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli,
Epityden vocat, & fidam sic fatur ad aurem.
Vade age, & Ascanio, si jam puerile paratum

A 2

Ag-

4
Agmen habet secum , curfusque instruxit equo-
rum,

Ducat avo turmas , & sese ostendat in armis:

Dic , ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos jubet esse patenteis.

Inc edunt pueri , pariterque ante ora parentum

Frenatis lucent in equis , quos omnis euntes

Trinacriae mirata fremit Trojaeque juvenus.

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.

Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro.

Pars laeves humero pharetras : & pectore summo

Flexilis obtorti per collum it circulus auri.

Tris equitum numero turmae , ternique vagantur

Ductores; pueri bissepi quemque secuti,

Agmine partito fulgent , paribusque magistris.

Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem

Nomen avi referens Priamus , tua clara , Polite,

Progenies , auctura Italos , quem Thracius albis

Portat equus bicolor maculis ; vestigia primi

Alba pedis , frontemque ostentans arduus albam.

Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini:

Parvus Atys , pueroque puer dilectus Iulo.

Extremus , formaque ante omnes pulcher Iulus,

Sidonio est invehctus equo : quem candida Dido

Esse sui dederat monumentum & pignus amoris.

Caetera Trinacriis pubes senioris Acestae

Fertur equis.

Excipiunt plausu pavidos , gaudentque tuentes

Dardanidae; veterumque agnoscunt ora parentum.

Postquam omnem laeti concessum , oculosque

suorum

Lu-

Lustravere in equis ; signum clamore paratis
Epytides longe dedit , insonuitque flagello.
Olli discurrere pares , atque agmina terni
Diductis solvere choris , rursusque vocati
convertere vias , infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus , aliosque recursus
Adversis spatiis , alternisque orbibus orbes
Impediunt , pugnaeque cient simulachra sub
armis:

Et nunc terga fuga nudant ; nunc spicula vertunt
Infensi : facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum coecis iter , ancipitemque
Mille viis habuisse dolum , quâ signa sequendi
Falleret indeprensus & irremeabilis error:
Haud alio Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt , texuntque fugas , & proelia ludo,
Delphinum similes , qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant , luduntque per
undas.

Hunc morem , hos cursus , atque haec certamina
primus

Ascanius , Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit , & priscos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo , secum quo Troia pubes,
Albani docuere suos : hinc maxima porro
Accepit Roma , & patrium servavit honorem.
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur Agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.

VIRGILIUS AENEID. *Lib. VII. vers. 378.*

CEu quondam torto volitans sub verbere
turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent : ille actus habena
Curvatis fertur spatiis : stupet inscia turba,
Impubesque manus mirata volubile buxum:
Dant animos plagae.

HORATIUS *Satirar. Lib. II. Sat. 3. vers. 247.*

AEdificare casas , plostello adjungere mures,
Ludere par impar , equitare in arundine
longa,
Si quem delectet barbatum ; amentia verset.

TITUS LIVIUS , *Lib. 7. Cap. 2.*

CUm vis morbi nec humanis consiliis,
nec ope divina levaretur , victis su-
perstitione animis , Ludi quoque scenici,
nova res bellicoso populo , (nam circi
modo spectaculum fuerat) inter alia coe-
lestis irae placamina instituti dicuntur.
Caeterum parva quoque (ut ferme prin-
cipia omnia) & ea ipsa peregrina res fuit.
Sine carmine ullo, sine imitandorum car-
mi-

minum actu, Ludiones ex Etruria acciti,
 ad tibicinis modos saltantes, haud inde-
 coros motus more Tusco dabant: imita-
 ri deinde eos juvenus, simul inconditis
 inter se jocularia fundentes versibus, coe-
 pere: nec absoni a voce motus erant. Ac-
 cepta itaque res, saepiusque usurpando
 excitata: vernaculis artificibus, quia Hi-
 ster Tusco verbo Ludio vocabatur, no-
 men Histrionibus inditum: qui non, si-
 cut ante, Fescennino versu similem,
 incompositum temere ac rudem alternis
 jaciebant; sed impletas modis saturas; def-
 cripto jam ad tibicinem cantu, motu-
 que congruenti peragebant.

PUBLIUS OVIDIUS NASO de Nuce, vers. 71.

POma cadunt, mensis non interdicta secundis;
 Et condis lectas, parca colona, nuces.
 Has puer aut rectus certo dilaminat ictu;
 Aut pronus digito bisve semelve petit.
 Quattuor in nucibus, non amplius, alea tota est;
 Cum sibi suppositis additur una tribus.
 Per tabulae clivum labi jubet alter; & optat,
 Tangat ut e multis quamlibet una suam.
 Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar:
 Ut

Ut divinatas auferat augur opes.
 Fit quoque de cretâ, qualem coeleste figuram
 Sidus, & in Graecis litera quarta gerit.
 Haec ubi distincta est gradibus; qui constitit intus,
 Quot tetigit virgas, tot rapit inde nuces.
 Vas quoque saepe cavum, spatio distante, locatur;
 In quod missa levi nux cadat una manu.

OVIDIUS TRISTIUM *Lib. II. vers. 471.*

Sunt aliis scriptae, quibus alea luditur, artes.
 Haec est ad nostros non leve crimen avos.
 Quid valeant tali; quo possis plurima jactu
 Fingere, damnosos effugiasve canes.
 Tessera quot numeros habeat: distante vocato
 Mittere quo deceat, quo dare missa modo.
 Discolor ut recto grassetur limite miles,
 Cum medius gemino calculus hoste perit.
 Ut mage velle sequi sciat, & revocare priorem;
 Ne tuto fugiens incomitatus eat.
 Parva sedet ternis instructa tabella lapillis;
 In quâ vicisse est, continuasse suos.
 Quique alii lusus (neque enim nunc persequar
 omnes)
 Perdere rem caram, tempora nostra, solent.
 Ecce canit formas alius jactusque pilarum.
 Hic artem nandi praecipit, ille trochi.

MARCUS MANILIUS *Astronomicôn*, *Lib. V.*
vers. 165.

ILle pilam celeri fugientem prendere palma
 Et pedibus pensare manus & ludere saltu,
 Per totumque vagas corpus disponere plantas,
 Ut teneat tentos orbes, sibi que ipse recludat,
 Et velut edoctos jubeat volitare per ipsum,
 Invigilat somnis : curas industria vincit,
 Otia per varios exercet dulcia lusus.

CAIUS SUETONIUS TRANQUILLUS *in Octavio*,
Capit. 71.

ALeae rumore nullo modo expavit:
 lusitque simpliciter & palam oble-
 ctamenti causa etiam senex : ac, prae-
 terquam Decembri mense, aliis quoque
 festis profestisque diebus. Nec id dubium
 est : autographa quadam epistola, Coe-
 navi, ait, mi Tiberi, cum iisdem. Ac-
 cesserunt convivae Vinicius & Silvius pa-
 ter. Inter coenam lusimus *γερωντικως* & he-
 ri & hodie. Talis enim jactatis, ut quis-
 que canem, aut senionem miserat, in sin-
 gulos talos singulos denarios in medium
 conferebat : quos tollebat universos qui
 Ve-

Venerem jecerat. Et rursus aliis litteris, Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis jucunde egimus. Lufimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calcavimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimentis praeter spem paullatim retractus est. Ego perdididi viginti millia nummum, meo nomine: sed cum effuse in lusu liberalis fuissim, ut soleo plerumque. Nam si, quas manus remisit cuique, exegissim, aut retinuissem quod cuique donavi, vicissim vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad caelestem gloriam efferet. Scribit ad filiam, Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter coenam vel talis, vel Par Impar ludere.

PHAEDRUS *Fabularum*, *Lib. III. Fabula 14.*

ÆSOPUS LUDENS.

Puerorum in turbâ quidam ludentem Atticus Æsopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et

Et quasi delirum risit : quod sensit simul
 Derisor potiùs quàm deridendus senex;
 Arcum retensum posuit in media via:
 Heus (inquit) sapiens , expedi, quid fecerim.
 Concurrit populus : ille se torquet diu,
 Nec quaestionis positae causam intelligit.
 Novissimè succumbit : Tum victor sophus:
 Citò rumpes arcum , semper si tensum habueris:
 At si laxaris , quum voles , erit utilis.
 Sic ludus animo debet aliquando dari,
 Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

*INCERTI AUCTORIS EPIGRAMMA DE
 Tabula Aleatoria , apud CLAUDIUM SALMA-
 SIUM in Notis ad FLAVIUM VOPISCUM.*

IN parte alveoli pyrgus velut urna resedit,
 Qui vomit internis tesserulas gradibus.
 Sub quarum jactu discordans calculus exit,
 Certantesque fovet fors variata duos.
 Heic proprium faciunt ars & fortuna periculum.
 Haec cavet adversis casibus , illa favet.
 Composita est tabulae nunc talis formula belli,
 Cujus missa facit tessera principium.
 Ludentes vario tum exercent praelia fato
 Ruffeus an nitidus praemia sorte ferat.
 Pascitur a multis avide damnosa voluptas,
 Ne foedet gliscens otia segnities.
 Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
 Et parili excellens Mucius ingenio.

AU-

SAturnalibus Athenis alea quadam festiva & honesta lusitabamus hujusmodi : Ubi conveneramus complusculi ejusdem studii homines ; ad lavandi tempus captiones , quae sophermata appellantur , mente agitabamus ; easque quasi talos aut tesserulas in medium vice sua quisque jaciebamus , captionis solutae aut parum intellectae praemium poenave erat nummus sestertius unus. Hoc aere collecto , quasi manuario , coenula curabatur omnibus , qui eum lusum luseramus , erant autem captiones ad hoc ferè exemplum ; tametsi Latina oratione non satis scitè ac paenè etiam illepidè exponuntur : *Quod nix est , hoc grando non est , nix autem alba est , grando igitur alba non est : item aliud non dissimile , Quod homo est , hoc non est equus , homo autem animal est , equus igitur animal non est.* Dicere ergo debebat , qui ad sophermata diluendum ac refellendum ritu aleatorio vocatus erat , in qua parte quoque in verbo captio foret ; quid da-

dari concedique non oporteret : nisi dixerat , nummo singulo multabatur : ea multa coenam juvabat : libet autem dicere, quàm facetè Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi , a quodam dialectico ex Platonis diatriba per contumeliam propositum remuneratus sit : nam cum ita rogasset dialecticus : *Quod ego sum , id tu non es ,* & Diogenes annuisset : atque ille addidisset ; *Homo autem ego sum :* cum id quoque assensus esset , & contra dialecticus ita conclusisset ; *Homo igitur tu non es :* Hoc quidem , inquit Diogenes , falsum est , & si verum id fieri vis , a me incipe.


MINUCIUS FELIX IN OCTAVIO.

ET cum ad id loci ventum est , ubi subductae naviculae substratis roboribus , a terrena labe suspensae quiescebant , pueros videmus certatim gestientes , testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem , jactatione fluctuum laevigatam , legere de litore : eam testam plano situ digitis comprehensam , inclinem ipsum , atque humilem,

lem : quantum potest , super undas intro-
tare : ut illud jaculum vel dorsum maris
raderet , vel enataret , dum leni impetu
labitur : vel , summis fluctibus tonsis , emi-
caret , emergeret , dum assiduo saltu sub-
levatur. Is se in pueris victorem ferebat,
cujus testa & procurreret longius ; & fre-
quentius exsiliret.

AULUS MACROBIUS SATURNAL. *Lib. I. Cap. 7.*

Hic igitur Janus , cum Saturnum clas-
se pervectum excepisset hospitio , &
ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum
& rudem ante fruges cognitas victum in
melius redegisset , regni eum societate mu-
neravit , cum primus quoque aera signa-
ret ; servavit & in hoc Saturni reveren-
tiam , ut , quoniam ille navi fuerat adve-
ctus , ex una quidem parte sui capitis effi-
gies , ex altera verò navis exprimeretur ;
quo Saturni memoriam in posteros propa-
garet : ita fuisse signatum hodieque intel-
ligitur in aleae lusu : cum pueri denarios
in sublimem jactantes , *Capita aut Navia* , lu-
su teste vetustatis exclamant.



MARYANS

OCTAVIUS

V

1768